Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

3. c Beilage zu Num. XIII. 1676.

1676

Visual Library

3c) Angek. Beil. zu 298/1676/XIII
Beil. 9

OBSERVATIO

CONTRA MEMORIAM VEL NOTITIAM

LEGATIS GALLICIS NOVIOMAGUM ITURIS DATAM.

PRodiit nuper admodum Libellus Typis excusus, qui Gallico Idiomate, *Memoire du Roy pour le depart des Ambassadeurs Plenipotentiaires de Sa Majesté à Nimegue* inscribitur, accitra vocabulorum ambiguitatem Memoria vel Notitia pro Legatis Gallicis, Noviomagum ituris, latino sermone appellari poterit: E titulo tubam Pacis colligas, sed singulæ lineæ classicum belli canunt; quod Regis Christianissimi nomen sibi tribuentis auspicijs emitti mirum est, eo maximè tempore, quo Christianis gentibus lætum Pacis augurium cœlitus annuntiatur. Planè nisi Regij Nominis dignationem præ se ferret, famosus videri posset. Interim minimè idoneus Pacis Præco est, qui veteres Injurias novis acerbitatibus cumulat. Præsertim cum aliud in fronte promptum ostendat, aliud clausum in recessu tegat. Inscriptio Mandata Legatis Noviomagum ituris data, pollicetur: Contextus Scriptionis nihil aliud, quàm declarationem continet. quâ ejus Author

Orbi persuadere conatur per Gallos non stetisse, quò minus cœptum Coloniæ Pacis Negocium ibidem finitum fuerit, stetisse autem per Cæsarem, quod successu caruerit, dum apprehenso, ut ait, contra fas fidemq; Fürstembergio diremerit inchoatum de Pace Colloquium, coacto scilicet Rege Legatorum suorum ad restauraudum congressum abitum tantisper differre, donec Fürstembergio, vel plenæ libertati reddito, vel Principis alicujus neutri Partium obnoxij custodiæ interim & donec Pax coalesceret, tradito, facinoris in ipso admissi atrocitas repararetur. Dedisse tamen Regem tum officijs Magnæ Britanniæ Regis, tum precibus Episcopi Argentinensis, captivi Fürstembergij fratris, ut Britannici Regis, ac fœderatorum Belgij ordinum, sociatis in hunc finem studijs hæc conditio ab Imperatore obtineretur, quam antehac ipse ut promovendæ Paci unicè necessariam exegisset. Proinde promissis Regis Britannici, ac precibus Episcopi Argentinensis confisum non dubitasse Galliarum Regem missis Noviomagum Legatis sui Orbis Christiani votis ac desiderijs satisfacere, præsertim cum Episcopus Argentoratensis, non modò impulsu Britannici Regis invitatus, verum etiam suopte animo permotus non unâ vice cum ipso egerit, ut de Patrocinio, quo fratrem Guilielmum tuendum susceperat, in tantum remitteret, ut utriq; se suasq; rationes bono Pacis publico immolandi gloria relinqueretur. Hæc eorum, quæ isto libello explicantur, in compendium redacta substantia est. Speciosa verbis, re inanis, quantoq; majore veritatis imagine picta, tantò minus eorum, quæ hactenus gesta sunt, fidei congruens. Sed his omissis ad rem ipsam transeamus. Primum violatæ fidei publicæ læsiq; Juris gentium crimen à rectitudine conscientiæ suæ alieniſſimum, justissimè in eos retorquet Imperator, qui (ut antiquiora silcantur Pyrenææ & Aquis granensis Pacis vincula) calcata profanis pedibus SS. Martyrum ossa, polluta delubra, Tiaras Pontificum, diademata Regum, sanctos etiam inter barbaras gentes propinqui Sanguinis nexus, viduarum indefensum sexum, pupillorum innoxiam ætatem, Jurisjurandi Religionem, proprium pudor .m ac decus, cunctaq; Regno augendo viliora habent, qui nullâ veteris cum Batavorum gente quam in hanc fortunæ, cujus molem ipsi ægris jam oculis intuentur, magnitudinem ipsimet evexerunt, amicitiæ verecundiâ, nullo Ecclesiasticæ dignitatis in Trevirensi, Septemviralis (cujus se antehac Defensores jactârunt) purpuræ in Brandenburgico discrimine omnia divina humanaq; jura miscere, agere, vertere non dubitant, dummodo per

æqua

æqua, per iniqua ad ambitionis ſuæ culmen ẽniti queant. Hi ſuos ante ſinus excutiant, ſuam prius conſcientiam explorent, quam ad alterius innocentiſſima facta, quæ illorum cognitioni non ſubſunt, ſupercilioſum judicium in toleranda audacia porrigant. Interim Cæſar ſecurus eſt, capto Fürſtembergio nihil vel contra Jus Gentium, vel contra fas fidei publicæ actum fuiſſe. Neq; enim Jus Gentium in eo lædi potuit, qui ejus favore vel nunquam munitus, vel eodem contra tranquillitatem Patriæ vetita moliendo fœdiſſimè abuſus eſt, neq; fides publica violari, quæ ipſius intuitu nunquam fuit interpoſita, quod pridem alibi demonſtratum, hîc, ubi brevitati litatur, repetere nihil attinet: Pro Legato à Cæſare, vel Cæſareanis agnitum fuiſſe Guilielmum, evinci hactenus non potuit. Imò pro non Legato habitum & privati hominis modo Tractatum à Cæſareanis fuiſſe, documentis Legato Suecio Benedicto Oxenſtiernæ oſtenſis confirmatum eſt; Dato tamen, at neutiquam conceſſo, Legatum Colonienſem fuiſſe, certè Gallicus non fuit: Injuriarum autem Colonienſi Legato illatarum Vindicta ad Colonienſem utiq; pertinet, non ad Gallum, nec alterius injuria alteri parit actionem, præſertim cum Electore, qui interim cum Cæſare convenit, non conquerente, nullus Gallo de alieno morbo dolendi locus relictus ſit. Tribunum Regis externi ac in ſolo patrio contra Natalis fidei pietatem, contra Cæſaris reverentiam, contra Pacis tranquillitatem, legumq; jura hoſtilia voce, manu, ſcriptis agitare, quietemq; publicam nefario ſcelere turbare auſum capi, & Colonia abduci juſſit Imperator, ne Conſilia Pacis præſentia & Suggeſtibus ſuis interverteret, qui acerrimum belli fomitem ſe hactenus præbuerat. Talem comprehendi reipublicæ intererat, cujus vulnera curari non poterant niſi eo remoto, cujus improbitas curationi malorum publicorum, quæ tot per annos Salutem publicam exederunt, hucusq; obſtiterat. Ut enim concedatur id, quod citra veri præjudicium concedi nequit? Eum Legati Charactere immunem ab omni manuum injectione extitiſſe, id ſanè beneficium favori innocentium introductum, in ipſorum odium ad improborum hominum patrocinium pravâ interpretatione detorquendum non eſt. Si Legatus officij terminos, & reverentiam Principis, ad quem mittitur, exuit, ac in detrimentum Reipublicæ, in cujus ditione verſatur, pernicioſa molitur, excidit ſuo jure, eiq; perduellionis dies dici poteſt, aliæq; actiones pœnales adverſus eum intentari. Cujus doctrinæ authoritatem pluribus experimentis ipſamet Gallia concivit, Legatus, ſi qui ſpeculatores agere,

ac dissidia miscere ausi sunt, parcere minimè solita. Verùm ut ante dictum est, non cum Legato Electorali, sed cum proditore Patriæ, cum Emissario hostili, cum Stipendiario Gallico res est, quem hostium artibus infectum, in eorum Castris & Comitatu deprehensum, hostium more habitum fuisse nemo vitio vertet, aut fidei publicæ, quâ Securitati ejus cautum ex hac parte nunquam fuit, quicquam exinde decessisse interpretabitur. Quod nunc obiter tantum adducitur, cum tota facti ratio, quàm tamen Cæsar nulli nisi DEO, cujus auspicijs regnat, reddere tenetur, alibi pridem exposita sit, adversus quam nihil hactenus proferre obtrectatoribus licuit, quod ullam verisimilitudinem aut speciem saltem Juris haberet. Persuadere quidem vulgo nititur Gallus, quasi commisso hoc, ut loqui amat, attentato omnis spes sarciendæ quietis publicæ conciderit, planè tanquam ejus reducendæ momentum à Fürstembergij fortuna unquam pependisset, quem abesse potius à Commercio Pacis, quam eidem interesse negocio ad optatum finem feliciter perducendo conveniebat. Quod si seriò Gallis propositum fuit suam orbi tranquillitatem seclusis ambagibus reddere, cur incolumi adhuc Fürstembergio, commeatum Carolo Lotharingo per tot mensium spatia denegârunt, cum ipsi Sueci Mediatorum tunc adhuc officio functi non iniquum censerent, salvum ei aditum concedi, ejusq; in publico de Pace Congressu causas & rationes audiri? nisi fortè vox quoque illis adimenda, aureisque claudendæ sint, qui se avitis Patrimoniis à Gallis, jus in armis collocare solitis, exutos, sedibusque Paternis evolutos queri sustinent. His ad differendam tranquillitatis publicæ felicitatem repertis effugiis tot elapsos inutiliter menses, tot gemitus suos inter mala & discrimina belli sursum missos verissimè imputare potest afflicta orbis Christiani calamitas, non Fürstembergii sorti, cujus libertas ad impediendam Pacem multum, ad promovendam autem eandem parum vel nihil omninò conferre poterat. Imò ne ad Gallum quidem ulla moderationis gloria è temperamenti ab ipso propositi commento redundat, cum hoc ita comparatum sit, ut directam ad Pacem, viam obstruat potiùs, quam expediat. Unde enim illi jus dictatoriâ potestate integram Injuriæ reparationem illinc exigere, unde nulla illi facta est Injuria? Unde illi authoritas inverso contra usitatam ab antiquo consuetudinem tractandi ordine in antegressum futuri de Pace Tractatus eas alteri parti Conditiones præscribere, quæ præcipuam ipsius Conventionis partem constituunt, nec nisi prorsùs victis ac deditis impe-

pe-

petari à Victoribus consueverunt? Eò autem res suas nondum recidisse existimat Cæsar, ut hosti suo supplex factus leges ab eo accipiat, quæ mutuo & communi partium consensu ferri debent. Ancipitem belli aleam, & ambulatoriam Martis fortunam esse nupera Æstas Gallum docere potuit. Incertæ temporum casuumque vices sunt, & sors armorum nunquam uni simpliciter indulget, nec quisquam rectè de Serenitate totius diei nisi post occasum solis pronunciat. Quapropter præcociter nimis Gallus de bello quasi jam confecto decernit, dum utraque pars sibi confidit, nec impares ambæ videntur. Utrinque ferrum, utrinque corpora humana, utrinque Socii virium æmuli, utrinque par prosperorum spes & adversorum metus, Cæsar autem de Justitia causæ ac benignitate Numinis securus, & inter medios armorum strepitus nunquam pacis vel optandæ, vel si per hostes liceat, procurandæ immemor, pridem suam de Guilielmi Principis Statu sententiam Legato Suecico Oxenstiernæ aperuit, nec ab ea hactenus, utut nulla juris obligatione, aut rerum suarum necessitate urgente, imò multis argumentis diversum suadentibus discessit, nuperque adeò id ipsum Magnæ Britanniæ Regi significavit, cum ab eo hac de causa per litteras interpellatus fuisset. Id quod Gallum minimè latet, ad quem omnia inter Ministros Cæsaris ac Suecicum Legatum acta tempestivè ac sedulò perlata sunt, nec fugere illum potest, amore Pacis eam placuisse Cæsari viam, ut instituta adversus captivum actio, quamvis ad exitum propè perducta, tantisper in suspenso quiesceret, donec Tractatus pacis finem sortitus esset. Etsi autem Suecia à partibus Mediatoris in Castra adversa gravi Gallorum ære conducta transierit, quod unicè optavit Gallia, & ut voti compos fieret cœptum jam Coloniæ de Pace congressum, quamvis alia omnia causaretur, hoc potissimùm fine dissolvit, Cæsar tamen placita semel Consilia non mutavit, suæque voluntatis certiorem Magnæ Britanniæ Regem facere non dubitavit, quò magis toti Europæ constaret, ipsum neque vicissitudine casuum, neque temporum spatiis, neque mutatâ personâ Mediatoris à proposito dimotum esse. Ad cujus scopum obtinendum non opus est, ut captivus ante Tractatum Pacis in tertii alicujus fiduciariam custodiam consignetur, vel quisquam Episcopo fratri ejus addictus ad colloquium illius admittatur, quò scilicet cum eo agat, ut ipsemet apud Regem pro temperamento in medium allato insistat; Cum hac ratione non tantùm porta captivo ad solitam Machinationum telam retexendam patefieri, verùm etiam materia inanis

quan-

quantumvis, ampullosa tamen jactantiæ ostentandæ eidem præberi queat, quasi Cæsari ad pacem à Gallo impetrandam captivi supplicis Intercessione ac deprecatione opus fuerit. Quod dedecus æquè à Cæsarei fastigii culmine nondum eò indignitatis depresso, ut tali Pacis parario indigeat, quàm à Fürstenbergii Conditione ac fortuna longissimè abest, neque DEUS hominesque sinent momenta pacis publicæ à pessima captivi mentè, sorte, æstimatione pendere.

Nimis nota sunt orbi tùm ejus, tùm Episcopi Fratris Consilia, nec credendum est, eos, qui pacem belli amore turbârunt, bellum pacis charitate mutaturos esse. Quis Sponsor erit, captivum, si quocunq; etiam modo dimittatur, non statim ad ingenium. & ad vomitum rediturum? Non Frater, quippe ijsdem Consilijs obnoxius, & contra Mandata Cæsaris in peregrino & hostili solo voluntarium exulem agens: Non alius, qui vel eum in potestate habiturus non est, vel cui precibus, pretio, minis, quæ singula multum ponderis inter mortales habent, depositum suum extorqueri facilè possit. Quis deinde actionem depositi instituet, aut contra Depositarium vi aut Jure experietur? intereà quoquo modo vel tantillum libertatis nactus peior detestabiliorq; fiet, quàm ante custodiam, vel in ipsa extitit, ubi per sibi obnoxios custodum fidem aggredi, ac secreta & captivo interdicta commercia cum sorore notisq; ejus complicibus sociare non intermisit. Lenitatis & Clementiæ famam, ut regnantibus utilem non aspernatur Imperator, sed ita ut securitati suæ, ut saluti publicæ, cujus apud eum suprema lex est, potissimùm consulat, adversus quam crudelis, & in tot ab eo vitam & spiritum trahentia. & incolumitatem, salvosq; lares, sarta tecta, inviolatos penates illi uni debentia animarum millia immitis est, quisquis misericordiam in pervicacem reum & in præsenti quoq; solitudine prioris ferociæ retinentem intempestivâ bonitate exercet, eiq; non emendationis spacium, sed novam malefaciendi licentiam tribuit, ut videlicet noviissima ejus deteriora fiant prioribus. Notum est, apud Gallorum Reges pro ejusmodi reis deprecari nefas esse. Sciunt ipsi, quid CAROLO quondam primo Regis Britannici parenti pro socrus suæ, LUDOVICI XIII. Galliæ Regis Matris reditu in Galliam intercedenti responderint, quo responso majores ipsorum, Germanos causam eorum, qui adversus CAROLUM IX. & HENRICUM III. Galliæ Reges arma induerant, agere ausos, ab Aula Regia dimiserint, more regnantibus usitato, quo unusquisq; eorum liberum sibi de subditis suis statuendi arbitrium

vin-

vindicat, idq; alterius cuiusquam interventu imminui ægrè patitur. Neque est quod captivus autumet, sibi nullis Jurisjurandi vinculis obstrictò liberum fuisse peregrino Regi fidem operamq; suam locare, cum eum ipsa nascendi conditio subditum fecerit, & sub Ditione Cæsarum ipsa natalis soli regio constituerit. Quidni igitur idem Cæsari in hunc captivum suum, quod Gallorum Regi, ac nec illius quidem sexus, cui etiam captis urbibus parcitur, in causis, ubi Imperij sui securitatem verti existimat, rationem habere habere solito, in quemcunq; civium suorum juris sit? Proindè Fürstembergio satis gratiæ esse debet, quod nihil hactenus in caput ejus, aut famam, aut dignitatem asperius, & ex ipsius merito decretum est, quid quod Episcopus Argentinensis præter spretam Cæsaris Majestatem insuper officia Magnæ Britanniæ Regis ipsius, Fratrisq; ejus intuitu interposita parum reverenter habuit, divulgato passim scripto isto Gallico & hâc illâc misso, ut invidiosas aliorum preces pro liberatione Fratris corrogaret, & hanc vim in Cæsarem, sive annueret petitis, sive abnueret, in ancipiti positum transmitteret? Quin expectavit potius, quid amica Britanniæ officia in Aula Imperatoris pro obtinenda libertate Fratris profectura essent? tam autem dum Britannici Regis operam præproperâ suâ diligentiâ antevertit, quid aliud quam gloriam Intercessionis Regiæ illi ereptam sibi vindicat, ac simul aliorum, quorum suffragationes passim emendicat, invidiâ Cæsarem onerat? Qui tamen ut immobilem, & Paci non minus quam bello paratum animum ostendat, Regiq; simul Britannico testatum faciat, quanto in pretio officia ejus Paci inter summa Christiani orbis Capita conciliandæ dicata habeat, jam nunc denuntiat Legatos suos eò, unde loco tractatui Pacis delecto vicini esse queant, quam primum profecturos, ac ibidem tantisper substituros, dum reliquarum Partium belligerantium Legati itineri accincti eò accesserint. Quod ut mittentis Majestas, & negotij gravitas postulat, sic tum apud Regem Britannicum, tum coram universo humani generis Theatro Cæsaris pacem, sed honestam, sed à fuco, fraude ac insidijs quovis bello nocentioribus liberam non recusantis, bellum autem nisi justum ac necessarium, & sine quo Pax nec sperari, nec retineri queat, seriò abominantis voluntatem evidentissimè probabit, neque Cælestis militiæ signa, ut Pacis causâ bellum gerenti præstò hactenus fuerunt, belli odio & execratione ad salubria Pacis Consilia inclinantem destituent, ut eventu tanquam æquissimo judice appareat, unde Ius stabat, inde DEUM stetisse. Quod si verò ea numinis in rem

Chri-

Christianam ira, ea humanorum Criminum magnitudo fuerit, ut ulteriore innoxij Sanguinis missione expianda sit, neq; sanioribus tutioribusq; consilijs locus pateat, Imperator nullius temerè fusi cruoris sibi conscius DEUM hominesq; testatur, se nullâ continuati belli cupidine, nullâ oriundarum exinde calamitatum culpâ teneri, cujus rationem veri tot malorum Authores ac Architecti illi quondam Regum omnium Iudici Regnorumque vindici gravem prorsus ac arduam reddituri sunt.

